





1723.

16

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS CHIMICO-MEDICA,
DE

SALIBUS ACIDIS,

QVAM,
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI UNIVERSITATE
HIERANA,
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE

REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegatarum ad Gradus B.M.V. & ad S. Joannem Moguntia, respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

EX CONSENSU ET DECRETO GRATIOSAE FACULTATIS
MEDICAE

PRÆSIDE

DN. JO. FRIDERICO DE PRE,

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO ET ARCHIATRO,
ANATOMIAE, BOTANICES ET CHIRURGIAE PROFESSORE PUBLICO, FACULTATIS MEDICAE ASSESSORE ORDINARIO NEC NON CIVITATIS ERFORDIENSIS SENATORE,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

AUTOR

JOHANNES WILHELMUS KRETSCHMANN,

Curia Barubinus,

DIE V. MAJI, A. O. R. MDCC XXIII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGI MAJORIS, H. C.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

16



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind. Some words are difficult to decipher but may include 'SICUT', 'DE', 'ET', 'IN', 'AD', 'PER', 'PRO', 'CONTRA', 'SINE', 'CUM', 'SINCE', 'EX', 'SUB', 'SUPER', 'INTER', 'INTRA', 'CIRCA', 'PRIMA', 'SECUNDA', 'TERCIA', 'QUARTA', 'QUINTA', 'SEXTA', 'SEPTIMA', 'OCTAVA', 'NONA', 'DECIMA', 'UNDECIMA', 'DUODECIMA', 'TRIGESIMA', 'QUADRAGESIMA', 'QUINGENTESIMA', 'SEXAGESIMA', 'SEPTAGESIMA', 'OCTAGESIMA', 'NONAGESIMA', 'MILLESIMA'.



ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO
DOMINO,

DOMINO
**GEORGIO
EHRENFRIEDO**

à NAVENDORFF,

DOMINO IN KAVERN ET SCHWAND,
SERENISSIMI PRINCIPIS BRANDENBURGICO-
BARUTHINI CONSILIARIO INTIMO, SUPREMO AULÆ
PRÆFECTO, PROVINCIARUM CURIENSIVM PRÆSIDI,



NEC NON ARCHI-DYNASTÆ PRÆFECTURARUM
MONACHO-MONTANÆ, STOCKENROTHANÆ ET
HALLERSTEINENSIS,
UT ET ILLUSTRISSIMI ORDINIS SINCERITATIS
EQVITI

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

Hanc Dissertationem Inauguralem Medico-Chimicam
In perpetuæ observantiæ symbolum

submississimè

Dicat, offert & consecrat

Autor

& Servus obsequiosissimus, devotissimus

JOHANNES WILHELMUS KRETSCHMANN,
Curiosus-Baruthinus,



Um sale de Salibus tractas KRETSCHMANNE;

sed unde

Vis tractare Acidum, cum tibi nullus
acor?

In facie ludunt Charites, & amœna loquendi

Suada tuo cunctis semper ab ore fluit.

Sal Acidum dulce est: quia plurima præstat in ægris

Commoda, quæ tali sunt tribuenda Sali.

Ingenium Sal est, doctæ Sapientia mentis

Sal est, quo condis nobilis artis opus.

Hoc Sale dum curas, non est *insulsa* medendi

Norma, nec infelix sic tua praxis erit:

Sed Sapient curæ patientibus, atque resecti

Proficient, posthac corpora sana gerent.

Sal hoc *Doctrina* salvam putredine famam

Servabit, magnum nomen ubique dabit.

Ita

*Nobilissimo Clarissimo & Dignissimo Medicina
Doctore, Commensali suo Dilectissimo
cordiciter applaudere, & de honoribus
Academicis ipso die Natali collatis animi-
tus Gratulari voluit*

PRÆSES.

)

De



DE *salibus* præbens specimen KRETSCHMANNE
politum
Monstras ingenii maxima dona *salis*.
In latebris nunquam concedit vivere virtus,
Virtus jam lucem quærit AMICE Tua.
Gratulor ergo Tibi, nomen laudemque mereris,
Doctrinæque Tuæ præmia digna capis.
Patria grata Tibi magis hinc Pindusque favebunt,
Fructus, quos capies, fama perennis erit.

*Paucis hisce Prænobilissimo ac Doctissimo Domino
Doctorando amico suo junctissimo applaudere
Voluit*

JOH. ADAM. BRAUN,
Ascha-Varisc. Jur. Candid.

Non perlustrando præclara volumina tantum
Fundamen Medicæ, sed & igne absolvitur artis.
Hic illud tanquam sectetur corporis umbra;
At si seponas, tunc certè falleris ipse.
Sic recte statuis, redamande perennis Amice!
Quodve TVO exemplo mihi semper abunde probasti,
Dum perscrutando libros noctesque diesque
Ingenuam mentem sacraasti Palladis arti,
Non potuère quies, non ignis, frigus iniquum,
Sudor acerbus eam vehementem extinguere curam,
Quomodo naturam posses perquirere flamma,
Auxiliovæ hujus diducere vincula rerum.
Atro carbonum non territus inde colore,
Vulcani socius mox, mox Hermetis imago,
Moxque Cous visus TV, mox Helmontius alter.
Hinc TIBI, delictum Musarum præmia surgunt,
Accipe

Accipe nunc iusto TV dignos tempore fructus,
Aegris ut fœdos possis depellere morbos,
Fati prolongare moras, dulcemque salutem
In foribus lethi medicâ arte referre jacenti.
Annuet hinc votis celsi moderator Olympi,
Successuque bono semper TVA cœpta secundet;
Sisque pius, magnus, dives, sis sanus & ipse!
Sic hîc es felix, felix TVque futurus.

*Hiscæ Clarissimo Domino Doctorando, ac doctissimo pariter
hujus erudita Dissertationis Autori, contubernali
quondam suo amicissimo, animatus adplaudere, ac
fausta quævis ominari voluit*

JOH. NIC. WEISSIUS,
Curia-Baruthinus, Med. Stud.

Qvem sua commendat Doctrina ac incluta virtus;
Magno censei dignus honore solet,
Pœoniæ felix artis KRETSCHMANNUS Amator
Doctrinam profert non sine laude suam.
Multo Virtutis metam contingere nisi
Abnuit; aut partâ vivere lætus aver.
Adplaudit Phœbus, rident Heliconia Tecta
Nec studia insigni munere cassâ volant.
Grator tentamen vorumque Jehovah secundet;
Ut fiat Medici Stella corusca Poli.

*Nobilissimo atque Doctissimo Domino Candidato de Hono-
ribus academicis animatus ad præcatur*

JOH. NICOLAUS SCHOEDEL,
Oberkötzaviensis Variscus Phil. &
SS. Theol. Studios.

Innu-


Innumeros post conatus Sapiencia præbet
Virtutis meritum, connectit laurea ferta,
Haud secus ac operæ victricis præmia digna.
Excipit en! laurus KRETSCHMANNE TUUM caput
almum,

Cum properas Phæbo plaudente ad templa serena
Artis Apollineæ, cum vires addis honori,
Vindicat ipsa TIBI palmam Sapiencia præstans,
Quam certe TIBIMET solam propriamque dicabis.
Gratulor hincce gradum, quem nunc acquiris, AMICE!
Permaneant viridis circum TUA tempora laurus,
Hippocrates fias, fias Epidaurius alter.
Nomen, opes, famam cumules hac arte perennem.

*Ingenio ac eruditione Clarissimo Domino Do-
torando congratulatur*

MARTINUS SEYDELIUS,
Selba-Variscus, Theol. Stud.





PROÆMIUM.



Diversis fabulis agitabantur
Gentiles de origine mundi,
partim ex propria inventio-
ne decepti, partim ex corru-
pta creationis historiâ ex con-
versatione cum Judæis habi-
tâ obcæcati: nos autem christiano lumine illu-
strati, & Sacrà scripturâ a Deo per *Moysem* con-
firmati, certiozem de mundi creatione ideam
formare, & de origine corporum naturalium
meliorem sententiam adducere possumus.
Legimus enim in *Lib. Genesios Moyfis*: Deum
in illo hexamero totum hocce universum ver-
bo suo sanctissimo FIAT creâsse. Firmâ ita-
que

que fide nos christiani credimus, mundum non quidem, ut voluit Aristoteles cum aliis Philosophis, ab æterno fuisse & increatum, sed a Deo omnipotente creatore spatio sex dierum esse procreatum: de modo creationis verò non conveniunt Philosophi atque Theologi; hinc variæ circa hunc creationis modum sententiæ in scholis sunt exortæ. Quia autem

Pondere, Mensura, Numero Deus omnia fecit.

& quia Deus est Deus ordinis, cur non etiam in ipso creationis opere, in ordine processisset? & primo corpora simplicia seu principia, Deinde ex his composita produxisset? hinc probabilissima est sententia, DEUM globi hujus terræ aquei creatorem primo in creatione, rerum naturalium principia seu corpora simplicia, ex his deinde per compositionem corpora mixta seu principiata, vel corpora primæ mixtionis, & ex horum diversâ combinatione corpora composita seu mixtionis secundæ, & tandem corpora aggregata creasse & composuisse. Ex his principis seu corporibus simplicibus, Deus creavit sal universale acidæ naturæ, ex quo

quo omnia reliqua salia particularia originem trahunt: quia itaque salia in Chimia magna lux & fundamentum sunt, reliquorum salium vero parens sal acidum est, has theses de SALIBUS ACIDIS publicè defendemus, cui actui ut Deus benedicat ab alto, est, quod devotissimis precibus imploramus.

§. I.

Tale Sal universale primogenium a Deo in prima creatione ex principiis procreatum, & adhuc dari in rerum naturâ non tantum experientiâ demonstratur, sed etiam autoritate confirmatur. Sic *Ettmüllerus in Pyrotech. rationali C. II.* salia dividit in *universale & particularia*, dicens universale hocce sal audire *spiritum mundi*, à quibusdam vero *avictam Hermetis*. Plura de hocce sale universali seu spiritu & animâ mundi inveniri possunt in *Andræ Cnæssæ filii Responsò ad Positiones de Ω Mundi*, *Hermophili Philochemici Aphorismis Basilianis* & *Celeb. Frid. Hoffmanni Diss. de salium generatione*. Imo *Ægyptiorum Philosophos* de hocce sale seu animâ mundi aliqualem cognitionem habuisse, apparet non solum ex *Fascia Isiaca statuae capitolinæ*, *Melchiore à Briga*, *Soc. Jesu*, interprete, ex qua cognoscimus, *Ægyptios* vel sub serpente e globo prodiente, vel serpente sine globo, Ω mundi intellexisse, testantibus *Sanchoniatone*, *Horo*, *Zoroastre*, *Eusebio*, & aliis, *vid. Acta erud. Mens. No.*

Novembr. M DCC XXII, sed etiam de hoc mundi spiritu seu sale universalis, secundum nonnullos intelligenda venit *Tabula illa Hermetis smaragdina*, ita sonans: *Pater ejus est Sol, mater ejus est Luna, &c.* Satisque probabile, *Hermetem* hac in *Tab.* de origine hujus salis acidi universalis locutum esse. Suppono autem *Hermetem Ægyptium* fuisse, & de vivo Deo omnipotente creatore nullam sufficientem cognitionem habuisse. *Ægyptios*, solem sub nomine *Osiridis* pro Deo omnia conservante coluisse, vid. *Seldæni & Vossii L. 2. de ortu & progressu idololatriæ*, p. 119, 198, 224. & *P. V. Z. Mytholog.* p. 534. Lunam simili modo *Ægyptios* sub *Osiridis* nomine venerasse, & sic pro Deo coluisse: vid. *Gerhard. Voss. in tract.* citat. p. 422. *Elias Schedius 135. de Germanorum Diis*, & *P. V. Z. Mytholog.* p. 588. *Hermes* itaque ut *Ægyptius*, de vivo Deo & creatione omnium rerum nullâ sufficienti cognitione donatus, solem & lunam pro Deo veneratus est, rectè ut *Ægyptius* dixit, hujus salis originem & parentem esse solem & lunam, vel, ut ut christianus loquar, pater hujus salis est Deus benignissimus creator, qui primo elementa & ex his sal universale in primo creationis die creavit, & adhuc conservat in aère.

§. II.

Quod a sale quodam universalis primogenio & acidæ naturæ reliqua salia per diversam terræ & aquæ mixturam & ætheris motum generentur, patet experientiâ Chemicâ videatur *Celeb. Frid. Hoffmannus, in annotat. in opera Paterii pag. 491.* nec non in *Diss. de salium generatione.*

§. III.

Hocce sal univertale acidum demonstrari non potest, nisi illud in aliud corpus se infinuet, & quò concentratius hocce sal univertale, & quò minor terræ ut hujus salis receptaculi copia, eò fortius producit acidum. Vitriolum, & Alumen crudum salia quidem sunt acidæ naturæ, multum verò terræ in se habent; nam Vitriolo per retortam destillato, accipies spiritum longè acriorem, & oleum acerrimum; quia terra non in tanta quantitate recondita est in spiritu & oleo vitrioli, quantâ vitriolo crudo.

§. IV.

Quo ad Definitionem salium acidorum, de quibus hic noster sermo, statuimus *ea esse corpora secundæ mixtionis, solubilia in aqua, particulis acutissimis corrosivis, & rigidis constantia, cum alcalico quovis corpore commixta conflictum edentia, & effervescentia, innumerisque usibus medico-chimicis destinata.*

§. V.

Hæc salia acida diximus esse corpora mixta: si enim essent corpora simplicia, amplius in alia separari non possent: corpus enim simplex, seu principium corpus homogenium esse necesse est: sed acida sunt heterogenia, & amplius separari possunt, exempli loco sit oleum vitrioli, hocce oleum est acidum concentratum, & à plurimis chemicis pro homogenio corpore habetur, quia juxta illos ex vitriolo crudo illud oleum per destillationem jam est separatum, at res longè aliter se habet; chemicus enim profundioris sagacitatis & majorum experimentorum ex

§ XXXII. olei vitrioli, albissimi, rectificatissimi & ponderosissimi, § IX. aquæ insipidæ, § VI^o terræ, & § B^o materię oleosæ, odoris & saporis suavissimi separare potest, quæ separatio spagyrica probat heterogeneitatem acidorum.

§. VI.

Solubilia sunt salia acida, activè & passivè. Solvuntur salia acida aquâ vel alio menstruo, unde spiritus & olea acida, quæ salia acida soluta sive liquida sunt. Solvunt vero mineralia, metalla, nec non vegetabilium & animalium partes, quia verò acida differunt ratione aciditatis, quoad majus & minus, quodlibet corpus solvendum, proprium menstruum requirit: sic corallia solvuntur succo citri, $\frac{1}{2}$ solvitur aceto; $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{2}$ solvuntur ab aqua forti; \odot vero ab aqua regia. Ratio vero cur aqua fortis $\odot m$, non vero $\odot em$ solvar, & aqua regis $\odot em$, non vero $\odot m$, facilius est proponenda, quàm eidem sufficiens responsio reddenda. Aliqui causam quarunt in menstruorum cum corporibus solvendis similitudine, quoad constitutiva atque crasin. Alii ad particularum in menstruis cõformationem, & pororum, qui sunt in solvendis, congruam configurationem confugiunt: de quibus *vid. Bohnius in Diss. Chim. Phys. & Freind in prælect. Chim.*

§. VII.

Salia in genere omnia sunt corpora acuminata, angulosa, rigida, undè diversæ salium descriptiones & generales definitiones. *Swicerus comp. phys.* Salia vocat

cat succos acres ex particulis teretibus, rigidis & acutis constantes. *Pechlinus de purgant. p. 107.* nominat salia corpuscula acuminata, rigida, perque insensibiles minutias in aqueum humorem se diffundentia. *Wolferd. Senguerdus in Phil. nat. p. 3. c. 13.* appellat salia corpuscula acuminata, angulosa, oblonga, rigida & diversarum figurarum: *Le Mortius de Chim. nob. & utilitate p. 20.* dicit, salia esse puncta minima, rigida, acuta, in aqua solubilia. *vid. Clar. D. Fickii Diss. de salium proprietatibus, genesi, natura & usu.* Certum itaque est, omnia salia in genere constituere menstrua, corpora solventia, ob particulas, quas habent, acutas & rigidas. Omnium autem salium acutissimas, rigidissimas & corrosivas particulas inesse salibus acidis, tam a priori, quam a posteriori demonstrari potest. A Priori quidem particularum acutissimarum salium acidorum fit demonstratio per microscopia; salia enim acida oculis armatis perlustrata repræsentant angulos acutos, media vero salia obtusiores, & interdum angulos rectangulos, sed alcalia angulos obtusos. De diversa salium figurâ in specie vid. *Anton. Leeuwenhœckius in arcan. Naturæ.* A posteriori probatur, quia omnia quidem salia ob particulas acutas angulosas menstrua constituunt, quæ in poros corporum ab ætheris & æris motu adiguntur, eorumque connexionem dissolvunt: omnium autem fortissima menstrua parantur ex acidis, ergo acida acutissimis, rigidissimis, & cuneiformibus particulis constant, & in poros solidissimorum corporum penetrare, & sic eorum connexionem dissolvere valent.

§. VIII.

Proprium acidorum est, ut cum alcalicis corporibus mixta effervescent: Alcalia autem nihil sunt aliud, quam terræ subtiles, ab acido resolutæ, multis poris gaudentes, imo juxta *Hoffmannum in Annot. in opera Poterii*, alcalia seu lixiviosa constant particulis levibus, & copiosis poris in quibus plurimus æther delitescit, & quando cum acido miscentur, concitant ebullitionem: acidum enim ab aëre, & acutissimis suis particulis in poros corporis alcalici adactum, ætherem ibi habitantem vi expellit, & in motum citat, unde effervescentia, & interdum ab ætheris motu celeri calor dependet, si verò acidi & alcali mixtio in vacuo sub antiæ pneumaticæ campanâ instituitur, ubi aëris motus non adest, etiam nulla effervescentia percipitur.

§. IX.

Definitione salium acidorum hætenus pertractatâ ad horum salium divisionem accedo. Sunt autem salia acida Primo, ratione consistentiæ vel *solida* vel *liquida*, Solida sunt, quæ in forma siccâ conservari possunt, ut Vitriolum, alumen crudum, imò sal vitrioli volatile, quod squammulas repræsentat. Liquida vero sunt, quæ in aqua vel alio menstruo soluta sunt, sive potius spiritus, & olea acida: differt itaque inter salia acida solida & fluida tantum forma, materia enim in utrisque una eademque est; in liquidis vis salina magis diluta quam in solidis, quare de solidis & fluidis conjunctim acturi sumus: solida enim facili negotio, in fluida converti possunt, & contra.

§. X.

§. X.

Secundo, ratione originis sunt *salia acida* vel *nativa* ut Vitriolum & alia *salia acida nativa mineralia*, vel *arte facta* ut acida per fermentationem vel per destillationem per retortam producta.

§. XI.

Tertiò, ratione subjecti, sunt *salia acida* vel *mineralia*, vel *vegetabilia* vel *animalia*, unum tamen regnum altero magis dives est saleacido; acida enim constringunt tubulos & poros corporum, quo solidius proinde corpus est, & arctiores poros tubulosque habet, eo majorem acidi quantitatem præbere potest. Regnum minerale maximam acidorum copiam in se continet, in hoc enim regno reperiuntur corpora solidissima, poros vel tubulos maximè arctos habentia. Vegetabile regnum minorem acidorum copiam producit, tubuli siquidem hujus regni corporum apertiore sunt mineralibus, succusque vegetabilibus inest circulatorius, qui à nimis salibus acidis coagularetur. Ex animali regno minimam acidorum partem separare possunt chimæ asseclæ, Animalia enim tubulos & vasa habent latissima, & fluida illorum sunt subtilissima, si itaque multum acidi his inesset, tubuli p. n. coarctarentur, fluidorum motus sufflaminaretur, & sic hominum & brutorum vita non posset subsistere.

§. XII.

Quarto, ratione durationis *salia acida* alia sunt *fixa* alia *volatilia*. Fixa, quæ omnem ignis gradum & vehementiam perferre possunt; Volatilia, quæ vel sponte in auras Diffunduntur, vel a mitiori ignis

gradu avolant. *Autor anonymus circa catena Homeri* salia acida nominat medium inter volatile & fixum: acida vero salia plurima volatilibus annumeranda, nobisque pauca fixa salia acida strictè sic dicta nota sunt, volatilium vero eò major numerus. Ex Ol- Vitrioli sal volatile liquidum acidum paratur, quod tantæ est volatilitatis, ut qui hoc odore non tentaverit, vix credere possit, acida tam volatilia reddi posse. Quale experimentum ad convincendos adversarios produci potest, qui negant inesse sali acido volatilitatem, quâ volatilitate & penetrantiâ salium acidorum cognitâ faciliè illorum sententiæ subscribi potest, qui docent, morbis malignis sal acidum volatile inesse.

§. XIII.

Modus verò, quo acida ex quovis regno parantur, sequentibus apparebit. Salia acida ex *regno minerali* parantur I. Destillatione per retortam, vel igne aperto vel in arena, & quidam (*α*) subiecta sine additione, ut Vitriolum, vel (*β*) cum additione arene vel argillæ, ut Ⓞ , sal culinale vel (*γ*) mixtura diversorum subjectorum ut Ⓜ , Ⓝ . &c. 2. Parantur per campanam, quæ operatio etiam species est destillationis, ut Ⓢ . 3. Per digestionem & solutionem, ut acetum Ⓢ nii, quod verò nihil est aliud, quam Ⓢ .
vid. Kunck. Lab. p. 450.

§. XIV.

Ex *Regno Vegetabili* parantur acida *primo* destillatione per retortam, & quidam (*a*) sine additione, ubi vegetabilia vel ficca vel recentia induntur retortæ, & lege artis per gradus destillantur. Hic modus adhiberi

beri potest in radicibus, lignis, herbis, floribus, fructibus, (b) cum additione arenæ, ubi subiectum, ex quo \ominus acidus parandus, cum triplo arenæ miscetur, & ex retorta per gradus destillatur. Huc pertinent Resinæ, gummata, & diversi vegetabilium succi. *Secundo* Fermentatione, ubi salia in vegetabilibus jam jam latentia hac operatione à compedibus suis liberantur. Sic in frumentis adest sal acidum, etsi non tam aperte, ut gustu concipi possit, aqua vero ex coctis & ad debitum tempus fermentatis, acetum evigilat, & in apricum prodit. Hæc Methodus parandi acida præcipuè in dulcibus & viscosis vegetabilium succis vel expressis, vel excoctis adhibenda.

§. XV.

Hac methodo acida parandi utitur natura in corpore humano, ubi in ventriculo ex alimentis præcipuè ad fermentationem dispositis ut exempl. grat. dulcibus, sal acidum per fermentationem generatur. *fuit enim fermentationis est acidum.* Hæc fermentatio in statu naturali, tantummodo quantitatem acidi producit, quanta ad solutionem alimentorum & in chylum mutationem necessaria est, ex quo per pylorum transgresso, & bile ac succo pancreatico admixtis, chylus tunicâ intestinorum tenuium villosâ a facibus secretus, per vasa lactea ad chyli receptaculum Pequetianam ducitur, ubi lymphâ affluente diluitur, ex quo chyli receptaculo exurgit ductus thoracicus, qui chylum sanguini admiscet, & ex hoc sanguini admixto chylo per motum & pressionem fit sanguis, a sanguine non tantum omnia reliqua fluida, certis in
orga-

organis separantur, sed & partes solidæ substantiam suam & incrementa a sanguine derivant. Si autem assumimus copiose alimenta ad fermentationem disposita per fermentationem ex his superfluum producit acidum, multorum morborum causas constituens: superfluum enim acidum chylo, chylus sanguini, & consequenter omnibus partibus tam fluidis quam solidis admiscetur, & non solum solidas interdum corrodit, sed etiam fluidas coagulat, & sic putrefactiones & obstructions producit.

§. XVI.

Ex Regno animali non tam copiosè, quam ex Vegetabili & minerali regno parantur acida. Parantur verò quoque destillatione acida evidentissima, præcipuè ex animalium urinâ, uti *Phosphorus* pro exemplo allegari potest, cujus descriptio in diversis autoribus chemicis reperitur, optima autem nobis videtur *Excell. DD. Teichmeyer in Elem. Phil. nat. p. 48.*

§. XVII.

Ad salium acidorum quoad usum explicationem nos nunc convertimus, ita quidem ut non tantum horum usus medicos *internos*, sed etiam *externos* sumus pertractaturi. Acida internè in substantia assumpta sunt *Stomachica*, quamvis medicamentis acidis in substantia cautè procedendum, ne loco medicamento venenum propinetur. Quæ vis stomachica ut magis eruatur, adducendum judico negotium chymificationis; hæc enim absolvitur digestionem, solutionem & triturationem, vel calore, menstruo & motu, deficiente itaque uno ex his vel vitiatum, alimenta ingesta

gesta interdum non benè ad solutionem præparantur; unde fit, ut cruditates in ventriculo remaneant, quæ ventriculi parietibus se affigunt, & sic motum ventriculi imminuunt, quo imminuto etiam calor suo modo decrescit: hinc oritur *Anorexia*, ubi nullum cibum desideramus, seu cum nausea illum assumimus. *Apepsia* ubi alimenta non digeruntur, sed indigesta seu per vomitum ejiciuntur, seu in ventriculo remanentia eum aggravant, ibique abeunt in putredinem. *Dyspepsia* seu molesta alimentorum resolutio & in *chylum* & *chylum* mutatio: horum morborum causa plerumque est *pituita* vel *cruditas nidorosa* in ventriculo delitescens. Jam ad rem nostram: jure ergo non immerito acida & ex hoc dicenda stomachica, quia talem cruditatem incidunt, attenuant, & ventriculum adaptant, ut menstrua eò liberius agere, & nervos leviter pungere, consequenter sensum famis excitare possint, si menstrua debite agant, etiam motus ventriculi præsto est, si motus adest, etiam calor, qui motus effectus, suum symbolum in chymificatione conferre potest, & sic acida stomacho sunt grata, quia cruditates ventriculi incidunt, & remonent, ac suaviter fibrillas nerveas ventriculi ad famem titillant. Quare à nonnullis Ω *Sis*, *Ori* &c. *acidi*, à *gutt. X. ad XV. vel XX.* sufficienti vehiculo in memoratis morbis dantur: meliora autem sunt medicamenta cum acidis præparata, ut *Elix. Oli Myns. Elix. Propr. cum acido, Elix. stom. Mich.* ubi non solum Ω acidus pituitam remover, sed etiam aromatica horum medicamentorum ingredientia calorem & motum ventriculi simul

C

adau-

adaugent, ut chymificationis opus eò melius, & liberius absolvi possit.

S. XVIII.

Acida in refracta dosi data refrigerant. Quamvis *Job. Baptista Sylvaticus in Galen. hist. Med. pag. 94.* dicat: *acida plus calefacere, quam refrigerare.* & *Hippocrates Lib. 2. de Dieta Cap. 33.* etiam innuat, quod austera calefacere soleant: *Excell. tamen Wedelius in Diss. de austerorum & acerborum usu* demonstravit, hoc nec menti divi senis quadrare, nec rei veritati, quã in re non tantum plurimi Eruditissimorum medicorum conveniunt, sed & res ipsa experientiã & ratione demonstrari potest: calor enim a motu accelerato particularum minutissimarum oritur, si itaque in massa sanguinea multæ particulæ salino-volares utpote corpora ad motum magis aptiora accumulatur, quæ sanguinem non solum fluxiliorem reddunt, sed simul inducunt ebullitionem, ebullitio morum p. n. motus verò calorem, calor p. n. febres diversas producit. *Acida* verò cum consistant particulis rigidis & oblongis, hinc cum sphericis utpote ad motum aptissimis in sanguine mixtæ, motum harum excentricum sufflamant, & ita refrigerant. Cavendum tamen, ne talis sufflaminatio nimis impetuosa fiat. Profunt itaque *acida* in dosi refractã & debitã in febribus ardentibus, biliosis & omnibus a bile ortis, ut & motu p. n. sanguinis; verbi gratia \ominus acidi, per se vel diluti cum \ominus vini, quos dulcificatos dicit schola chimica, qui etiam in re nihil nisi *acida* sunt diluta, ut \ominus \textcircled{D} , \textcircled{E} , \textcircled{F} dulces, *Ettmullerus* commendat *succos acidos vegetabilium, item TRas*
fiorum

florum bellidis, 4. fl. cordial. acidulatas: commendatur porro elegans TR. rosarum Zuvelfferi, Ω Orli coagulatus: Christianus Langius etiam in his morbis laudat Ω idque vel crudum, vel tabulatum.

§. XIX.

Nec silentii peplo obvolvenda vis acidorum alexipharmaca; pertinent autem huc quoad majorem partem acida vegetabilium, ut aceta. Acida per fermentationem producta non solum Ω acidum, qui corallia, Θ hni & alia corpora solvit, sed etiam Ωum volatilem ardentem, nec non notabilem partem extracti balsamici in se continent. Hic Ω volatilis ardens demonstratur, si acetum cerevisiæ vel vini destillatur, ubi primò *phlegma*, deinde Ω acidus, & tandem, si gradus ignis augmentatur, ex materia mucilaginosâ remanente talis Ω ardens volatilis quamvis in exigua copiâ prolicitur. *Ettmullerus de alterantibus secundariis, hinc Hollandi dictum, quod Ω aceti volatilis sit millies subtilior ipso Ωtu vini, de hocce Ωu ardente aceti vulgaris intelligit: mihi verò persuasum habeo, Hollandum sub hoc Ω aceti ardente non intellexisse Ω ex aceto vulgari ardentem, nec acetum vegetabilium, sed acetum mineralium in mente habuisse. Ex aceto enim vulgari vegetabilium Ωum quidem ardentem volatilem parare potest chimici dexterritas, sed non tam subtilem, ex aceto verò acerrimo mineralium omnino Ωum volatilem ardentem millies Ωtu vini alcoholisato volatiliorem. Accedit quod communi loquendi formâ, chimici sub termino aceti, intelligant acetum mineralium. Spiritus hic ardens*

C 1

vino.

vinosus ex aceto veget: partem balsamicam resinofam solvit ex illis vegetabilibus, ex quibus paratum est acetum, & sic aceto vis alexipharmaca aliave communicatur, pars hæc balsamica in examine extracti aceti, ubi vis hæc balsamica concentrata est, apparet; unde non solum acetum putredini solet resistere, vid. *Ettmull. in Schræd. Diluc. Pytholog. p. 114.* sed & decantatissima à *Galeni* temporibus ad hæc nostra est vis aceti alexipharmaca, & venenis resistiva: quare in peste curandi & præservandi sine aceta magnâ cum felicitate medicum trahuntur in usum. Acetum est ^{ad usum} quo curavit *Hippocrates* pestem, vid. *Helmontium*. Præcipuè autem huc pertinent aceta composita, ut Theriacale, & alia pestilentialia ex camphora, quo vis aceti balsamica augmentatur. *Sylvius* in peste *Amstelodamensi* non sine maximo fructu usus est aceto cochlearia, nec suâ laude caret acetum theriacale *Timæi*, cujus felicissimum successum autor ipse vidit in peste, vid. *ant. cita. Lib. 8. Cap. 32.* De viribus aceti alexipharmacis amplius vid. *Bartholini Cent. IV. Hist. 13.*

§. XX.

Externè acida præcipuè mineralia tutius in substantia applicantur à Chirurgo, quam internè à Medico. *Adstringunt acida & Styptica sunt*, seu talia, quæ ostiola vasorum & pororum nimis aperta, disrupta & dissecta constringunt, & coarctant, tonumque partibus destructum restitunt: hinc sanguinem ex ruptis vasis effluentem coagulant, & crustosum reddunt, sicque vasorum ostiola occludunt, quo fluxus sanguinis sufflamatur, & fibræ talia vasa constituentes eò citius

tius ad consolidationem coire possunt. Profunt idcirco in hæmorrhagiis, præsertim a vulnere ortis, de criticis enim hic non est sermo. Laudantur proinde pulvères & liquores styptici ex acidis, glutinantibus & balsamicis compositi, ut *pulv. Stypt. Crollii, Wed. alb. & rub. pulv. Segnot. Hartmanni*: O , O vel in substantia, vel in liquoribus: omnium autem optimus sine dubio est *liquor Stypt. Weberi* in hujus auctoris *Anchova sauciatorum* descriptus.

§. XXI.

Porrò acida sunt *Cathartica*, quæ callum & carnem luxuriantem in ulceribus destruunt; particulis enim suis acutis alia corpora solidiora corrodentibus, callos & carnem excrecentem facili negotio consumere & auferre valent. Usus itaque suum præstant in vulneribus, ulceribus, fistulis, aliisque locis, ubi callosa & excrecens caro auferenda.

§. XXII.

Acida tandem fortissima sunt *corrosiva & cauteria*, quæ fonticulum excitant, quod salia acida etiam agunt particulis suis scindentibus, acutis, ensiformibus. Hi fonticuli materiam morbificam scilicet humores vitiosos, ichorosos, acres & salios, malignâ vel aliâ qualitate infectos in corpore collectos sensim educunt, magisque conveniunt in morbis chronicis, quia *sensim* educunt, minus in acutis, ubi materia morbifica potius alteranda, vel *statim* evacuanda. Præservativè tamen in acutis symbolum suum conferre possunt. Hinc *Bened. Viç. Faventinus*, it. *Nymannus de Apoplexia* C. 46. p. 308. magni æstimant fonticulum in apoplexia,



scopo præservatorio, præcipuè in nucha. Sunt autem talia cauteria, uti supra innuimus, acida fortissima, ut *ol. Oli, ol. Suis, & Flammificus, Lap. Infernal. Troch. Vigonis*, quas *Versalius* commendat, & componi jubet ex medullæ panis bene fermentati $\frac{3}{4}$ IV, $\frac{1}{2}$ opt. $\frac{3}{4}$ j, Minii $\frac{3}{4}$ s, ex quibus invicem mistis formantur Trochisci: quia vero indolentia cauteria a patientibus maximè delicatioribus expectantur, licet revera talia non dentur, opium cauteriis admisceri solet ad prohibendum dolorem *vid. Wed. epilog. L. II. Sect III. C. I. p. 136. sed Glandorp. C. IV. Gazophyl. ait: nullam se in operando advertisse varietatem, quamvis subinde opium adjectum fuerit.*

§. XXIII.

Hæc sunt, quæ de acidorum usibus dicere nobis proposuimus: & quanquam non negemus internum acidorum usum in substantia non adeo magnum esse, verum tamen, imo verissimum est, ex acidis præcipuè mineralibus omnium optima & præsentissima imo tutissima remedia parari posse, quæ omnia recensere modò multum temporis requireret: ad vires autem aliquorum sic præparatorum medicamentorum, penitius explicandas in aliud tempus differimus, præparationes ipsas apponere hujus loci non esse existimamus: Interim tamen nonnulla ex acidis præparata loco corolliariorum lubet hic subjungere.

§. XXIV.

In officinis ex *o Oli acido, & Theriacali, & o Tri*, paratur *Mixtura simplex*. Sub *o Oli* vero, in hac compositione non intelligendum esse *o Oli vulgarem*

garem, sed Paracelsi, nonnulli volunt, qui α sum-
mæ volatilitatis & fragrantia est.

§. XXV.

Vulgariter α Vini per vesicam destillatur, & cum
Ele alcalico siccissimo dephlegmatur, ubi ∇ in α Vini
adhuc residua \ominus alcali solvit, & sic spiritum vini su-
pernatantem relinquit. Ast hic α vini supernatans
aquæ non est expers; cum acidis vero plenarie de-
phlegmatur, ita, ut hac Methodo dephlegmatus α vi-
ni non solum omnes resinas & balsama, imo Φ ra mi-
neralium solvat, sed etiam tantæ sit volatilitatis & sub-
tilitatis, ut etiam aquæ infusus, cum illa se non misce-
at, sed semper supernatet. Talis insuper α vini est
ille, quem *Drebelius ab Alckmar* ad extractionem Essen-
tiarum ex tribus regnis requirit.

§. XXVI.

Porrò ex acidis parantur optima antacida, præ-
cipuè ex illis, quibus pars metallica inest: metallica
enim antacida omnibus medicamentis antacidis pal-
mam præripiunt, quia metallica majorem copiam a-
cidi in se recipere, & educere possunt. Inter metal-
lica autem, Φ ialia & martialia, vulgaria, multo magis
medicamenta Φ ialia subtiliora & fixiora, quæ in cor-
pus, ubi acidum prævalet, assumpta nullam salivatio-
nem & corrosionem excitant, sed acidum absorbent,
& educunt. Et talia medicamenta antacida ex non-
nullis acidis, quibus pars Φ alis inest, parari possunt;
si nempe talia acida in liquorem volatilem dulcem,
hic vero in substantiam solidam ac fixam a Chimici
dexteritate convertantur, & sic constituunt antaci-
dum

dum omnibus in officina pharmaceuticâ hæctenus u-
sualibus antacidis nullo modo cedens.

§. XXVII.

De acidorum usibus chemicis, multa huc refe-
renda forent, sed cum mens mea eo tendat, differ-
tationem non verò Tractatum conscribere, plura in
aliud tempus sunt differenda, brevissimis autem me
expedio, si dicam, acida in metallorum separatione
& in sua principia reductione suum symbolum con-
ferre, & præsertim oleum Oli, quod solutionibus
metallorum in semipondere commixtum, principia
metallorum in solutione apertorum ita distendit, ut
facili negotio deinde separari possint: de qua sepa-
ratione metallorum non solum Germanorum *Her-
mes, Excell. D. D. Teichmeyerus, Præceptor meus ad urnam
devenendus, in Colleg. suo Chémico privato* mentionem
fecit, sed & autor *Alch. Denud.* hanc materiam pro-
lixè pertractavit. Et hæc sunt, quæ circa hanc ma-
teriam medico-chemicam volumus producere. Le-
ctor benevolus velit has nostras primitias academi-
cas æqui bonique facere. Ad Te denique DEUS
Ter Optime Terque Maxime supplices nos converti-
mus, agentes maximas, quas possumus, gratias, pro
divina gratia, & in academicis nostris laboribus
assistentiâ, cui sit Honor, Laus & Gloria
in perpetuam æternitatem.

F I N I S.

00 A 6419

ULB Halle 3
004 103 424



f

sb.

29. Stock Handschrift







Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS CHIMICO-MEDICA,
DE
SALIBUS ACIDIS,

QVAM,
IN ALMA ET PERANTIQA ELECTORALI UNIVERSITATE
HIERANA,

MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE
REFERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO
JO. JOACHIMO HAHN,
EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hasfiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B.M.V. & ad S. Joannem Moguntiae, respectivè Scholastico, Canonico Capitulari, & reliq.

EX CONSENSU ET DECRETO GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ

PRÆSIDE
DN. JO. FRIDERICO DE PRE,
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO ET ARCHIATRO,
ANATOMIÆ, BOTANICES ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO, FACUL-
TATIS MEDICÆ ASSESSORE ORDINARIO NEC NON CIVITATIS
ERFORDIENSIS SENATORE,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

AUTOR
**JOHANNES WILHELMUS
KRETSCHMANN,**

Curia Barubinus,

DIE V. MAJI, A. O. R. M DCC XXIII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGI MAJORIS, H. C.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

1723.

16

16

